

Ill^{me} ac Reverendissime Domine, Domine colendissime.

Litterae Ill^{mae} Dominationis Vestrae, quibus novae huius cardinalitiae dignitatis accessionem mihi gratulatur, vivam ac spirantem imaginem humanissimi pectoris Vestrae Ill^{mae} Dominationis referunt, meque novis debitae gratitudinis ac observantiae vinculis Vestrae Ill^{mae} Dominationi astringunt. Quamobrem posthac non eo solum nexu quo eiusdem sacri collegii membra iuncta esse convenit, me Ill^{mae} Dominationi Vestrae devinctum arbitretur; verum etiam, ob singularem hanc benevolentiae significationem, qua meis adeo re-
creatur honoribus favoremque ac patrocinium suam defert liberalissime, multo arctioribus vinculis me Ill^{mae} Dominationi Vestrae obligatum fore certo sibi persuadeat. Et ut nihil in tota vita mihi gratius accidere poterit quam si obsequi v^{rae} Ill^{mae} Dominationi et quam me illi obnoxium sentiam declarare possim; sic illud summi beneficii loco peto, ut meis qualibuscumque servitiis Vestra Ill^{ma} Dominatio arbitrato suo uti velit. De coetero, post humilima manuum Ill^{mae} Dominationis Vestrae oscula, omnem a Deo opt. max. foelicitatem optatam Ill^{mae} Dominationi Vestrae ex animo precor. Posonii 8 die Februarii 1608.

Ill^{mae} ac Rever^{mae} Dominationis Vestrae

Humillimus servus

Franciscus Forgatz

Card^{lis} Strigon.

Ill^{mo} ac R^{mo} Domino et Patri meo observ^{mo}

Dño Cardinali Bellarmino

(sigillum)

Romam.